

Quod autem casum illum attinet, ut exspectationi tuæ satisfaciam, breuibus, si non verbis, tamen fundamentis cum priori responsione conuenientibus opinionem meam aperiam, eamque candido tuo iudicio subiiciam. Sed *Ad primā* ne longiori tuarum literarum repetitione tæ- questionē dium tibi satis alias occupato creem, ad quæ- stiones tuas mihi propositas rectâ progre- dior, inter quas prius locus illi tribuitur, quâ quæris an Gangræna illa furiosa, tan- quam dira & immanis, ut vix similis un- quam conspecta, ex contusione sola vel ex causa aliqua interna & occulta orta fue- rit? Negatiua tua displicere nequit, ubi per- pendo rationes in medium adductas, ex ipsius Hygieiæ penetralibus depromptas, at experientia tua singulari confirmatas, præsertim cum tantum illam contusio- nem consideres, quæ fuit in crure, con- cedendo nihilominus, præter hanc aliam quoque totius corporis contusionem adfui- se, quatenus rota totum latus transgressa fuit, quod non solum tecum ex dolore circa scapulam colligo, sed insuper etiam urina sanguinolenta per totum morbi tem- pus, ab initio statim ad finem usque vitæ satis firmiter illud ipsum indicat, propter- ea quod hæc in eiusmodi corporis consti- tutione non aliunde quam ex contusione, non cruris sed aliarum partium deducenda videa- tur. At verò si tanta fuit contusio corporis reliqui, mirum non est, sanguinem circa partes abdominis externas alicubi concretum ac pu-